

Facultatis medicae in Academia Lipsiensi Pro-cancellarius Samuel Theodorus Quellmalz [sic] ... candidati dignissimi Ernesti Gottlob Bosii ... indicit deque Arteriae pulmonalis motu singulari huiusque efficacia praefatur.

Contributors

Bose, Ernst Gottlob, 1723-1788.
Quellmalz, Samuel Theodor, 1696-1758.
Universität Leipzig (1409-1953)

Publication/Creation

[Leipzig] : Litteris Langenhemianis, 1748]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/e3gnbudp>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

FACULTATIS MEDICAE

IN

ACADEMIA LIPSIENSI

P. T.

PRO-CANCELLARIUS
D. SAMUEL THEODORUS QVELMALZ

PATHOL. PROF. PVBL. ORDIN. COLLEGII MEDICI ASSESSOR

ACADEMIAE DECEMVIR ET COLLEGII MAIORIS PRINCIPVM

SOCIVS

SOLEMNIA INAUGVRALIA

CANDIDATI DIGNISSIMI

DN. M. ERNESTI GOTTLÖB BOSII

LIPS. MISN. MED. BACCAL.

D. IX. AVGVSTI AN. MDCCXLVIII.

INDICIT

DEQVE

ARTERIAE PVLMONALIS MOTV SINGVLARI

HVIVSQVE EFFICACIA

PRAEFATVR.

FACULTATIS MEDICAE

IN

ACADEMIA LIPSIE

MDCCCXXXVIII

PRO-CANCELLARIUS
D. SAMUEL THEODORUS QVEMMELT

PATROL PROE TYLE ORDIN. COLLEGI MEDICI ASSessor
ACADEMIAE DECEMBER ET COLLEGI MAIORIS PRINCIPVM
SOCIVS

COLLEGIUM INAVGVRALIA

CANDIDATI DIGNISSIMI

DR. M. ERNESTI GOTTL. BOSSI

PR. MED. BACCAL.

D. IX. AVGVSTI AN. MDCCCXXXVIII

INDICIT

TIPOG

ARTERIE PULMONALIS MOTV SINGVLARI

HVIVSQUE EFFICACIA

PRAEFATIO



Non vno actu, sed pedetentim, eoque exactius naturae exhauriuntur opera, quo frequentius scrutatorum meditationem subeunt. Quidni de corporis humani eiusque partium functionibus idem obtineat, quae crebriori disquisitioni semper aliquid plenius cognoscendum offerunt. Publicum dixeris pulmonum usum, ceu in vniuersam massam sanguineam, perque hanc ad omnes partes solidas redundantem, tantumque, ut si cum caeterorum haematosi velificantium viscerum compares, stellae ad instar primae magnitudinis emineat, illisque palmam merito suo praeripiat. Nulli hinc visceri propinquiore illos esse decebat, quam cordi, fonti ac scaturigini, a qua sanguinis circuitus ac distributio primordia sumit et in quam desinit. Cum hoc intime per vasa maiora sanguifera vniuntur, huiusque satellites quasi existere dicas. Mirum est dictu, quam sanguis ab omnibus corporis locis redux factus seu venosus, postquam laudabiles suas nutritiasque moleculas in tot corporis regionibus, ad quas motu perenni distribuebatur,

IV

deposuit, muniisque suis decenter perfunctus est, fatuus atque elumbis demum redditus cordis auriculae atque ventriculo anteriori infundatur, huius nihilominus vi in arteriam pulmonalem ocyus impulsus, per eiusdem nominis venam auriculae atque antro cordis posteriori, totus mutatus ab illo, ceu rediuius redditur. Stupet mens, vbi subitanam coloris eius inuersionem vnico hoc traiectu, atque temporis momento adeo accidentem, vt qui antea more illius, quem venae ferunt, obscurus nigricansque quasi existerat, mox coccineum, rutilum, eoque ipso iucundum induat colorem, ex merito perpendit. Fidem propemodum excedit, sanguinem qui praecedente puncto temporis in venis ceu vasis conicis inuersis ac diuergentibus, arteriis suis fociis amplioribus longe, successiuam rarefactionem partiumque suarum expansionem, non sine hiatibus interstitiisque inter illas relictis maioribus, adeo expertus erat, vt non nisi ab auricula ac ventriculo cordis anteriori, receptaculis notabili parte altero cordis antro et auricula posteriori capacioribus admitti poterat, itinere hoc per pulmones breuissimo absoluto, ita denuo densari atque compingi, vt auricula ac ventriculus posterior, etsi multum angustiores, eum commode satis recipiant. Tantumque abest vt partium cruoris in pulmonibus facta compressio soliditasque inducta motui per corporis loca suscipiendo liberrimo obsit, vt potius dissolutae, contritae atque elasticae redditae cursum suum adeo facili- tent, vt sine hac inducta immutatione eum tantum non impossibilem, minimum haud durabilem pronuncies. Quisquis talia

talia, imprimis vero summam vniuersae massae sanguineae per pulmones transitus necessitatem, antequam aliis destinetur muniis, curatius, vti decet, perpendit, quamque ea propter dicti pulmones ventriculos cordis intermedium quasi, si sanguinis spectes progressum, ita occupent situm, vt ne guttula quidem eos praeterlabi queat, de excellenti horum munere plenius conuincetur. Sane eo sollicitius in mirandas has pulmonibus proprias ac perpetuas vires vsunque quem sanguini praestant, vel iteratis saepius vicibus inquirere expedit, quo certius in reliquis corporis partibus, si vnicam earum speciem excipias, similem haud contingere persuasi sumus. Vtut enim in aortae per corpus distributis ramis, sanguinis partes eandem compressionem condensationemque experiri videantur, gradu tamen non leui ab illa in pulmonibus acquisita, differre putem; vtut, inquam, color illius cum illo a pulmonum vena cordi reddito, egregie conueniat, tantum tamen abest, vt hic loci eundem obtinuerit, vt pulmonibus potius omnis acceptus referendus sit, nec proin eandem faciem post transitum per arterias prae se ferat, sed obscurus magisque nigricans tunc appareat. Quod si in momenta illa quae sanguinem in pulmonibus mirando prorsus modo immutare paria sunt, animi aduertamus sensa, non possumus non arteriae pulmonali primum concedere locum. Cuius si spectes capacitatem, comparatione cum vena socia instituta, contra naturae morem consuetum, in lumine notabiliter maiorem, ipsam contra ea membranarum arteriam hanc construentium consistentiam ad aortae laterum crassitiem perfecte haud

VI

accedentem perspicias, ut eapropter vix tanto pollere
 robore videatur, quanto pro obtinendo hoc fine opus
 est. Quique in vniuerso systemate arterioso obtinet
 mos, ut quo magis rami ab aorta ceu trunco distent
 eo maius lumen prae se ferant, id multo magis ad no-
 stra vasa pulmonalia applicandum erit, quae tanta co-
 pia disperguntur, ut iis meris constare videatur pul-
 monum parenchyma. Ast qui fieri aliter poterat, cum
 non nisi rarae texturae, leuiorem ac venosum sangui-
 nem reducem, mox cordi anteriori a partibus redditum
 eam recipere, sufficiensque spatium illi omnino conce-
 dere oportebat. Eoque magis, cum si antri cordis an-
 terioris ineamus proportionem, non exiguam sangui-
 nis quantitatem, assumpto namque Loweri calculo, vel
 vnicus cordis ictus seu systole offerat. Cumque ut omnia
 corporis vasa, sic nostram arteriam cruore nunquam
 non repletissimam memori mente sit tenendum, prae-
 dictae amplitudinis causa, ut nempe eo magis nouo re-
 cipiendo venoso sanguini per repetitas cordis contra-
 ctiones propulso par sit, haud obscure docemur. Ve-
 rum alium prorsus longeque contrarium motum, quam
 qui in ceteris arteriis, si illas musculorum antagonista-
 rum exceperis, animaduertitur, in ea obtinere arbitror.
 Eum vero neutiquam semper ac perpetuo in illa vigere
 lubens largior. Quis enim eum tempore, quo pulmo-
 nes ab inspiratione quiescunt, aut vbi expirationis actus
 pene absolutus est, alium de ea praedicet, quam qui re-
 liquis quoque arteriis communis est. Etsi enim illa in
 vna communique cum ceteris leuibus sic dictis et asperis
 vasis

vasis capsula excurrant, eodem per pulmonum texturam
 distribuatur modo, ac aliae corporis arteriae, diuersissima
 tamen ratione fines eius vna cum comitis venae initiis
 connecti, autopsia anatomica compertum hodie est. Et-
 enim extremitatibus suis sibi appropinquantes vtriusque
 canalis rami vltimi, conicamque cum cylindrica commu-
 tantes figuram, arteriae inquam, cum venis forma eadem
 inchoantibus retis in modum se implicant, fines bronchio-
 rum vltimos in vesiculas, ceu aeris receptacula, definentes
 circumdant eoque ipso spatia eorum intermedia occupant.
 Quare fieri aliter nequit, quam vt tum expirationis, tum
 medio inter duas respirationes tempore se contrahentes
 vesicae atque collapsae, texturam hanc vasculorum inter-
 iectam, qua partem maximam comprimant, liberoque san-
 guinis transitui remoram non exiguam obiciant. Scilicet
 sapienti naturae consilio non eundem rithmum et respira-
 tione et cordis motu seruantibus, cum hic frequentiori-
 bus suis recursibus illam multum superet, sponte cuiuslibet
 patet, quantam quamque violentam extensionem arteria
 haec patiatur. Si quid experimenta, quotidie, quieto in
 corpore proprio, animoque praedito tranquillo instituen-
 da nos in eo doceant, dispiciamus, decies, non raro se-
 decies, imo vigesies pluriesque cordis accidere contra-
 ctionem, antequam semel totus respirationis actus pera-
 gatur, obseruabimus. Respirationis nimirum tempus
 cum mire in sano corpore, integritate pulmonum per-
 fecta gaudente intendatur, in dyspnoea contra ea affectis,
 anhelosis, labeque visceris laborantibus, curtissimum extare
 consuevit. Iam si cuiuslibet respirationis constituere
 libue-

libuerit stadia quatuor, expirationisque actui, ut et spatio inter nouam inspirationem tamdiu intercedenti, donec, quod innui, necessitate quadam naturali haudque obscura anxietate nouam instituere cogamur, dimidium solum pulsum numerum assignes, ut non obscuris indiciis pateat, tempus quo hae duae absoluuntur periodi, illud quo reliquae duae actiones, inspirationem et retentionem aëris sistentes, contingunt, facile superare, non mediocris sanguinis quantitas in arteriam hanc a corde decem, duodecim pluribusue forte his systalticis eiaculationibus impelletur, ibique, transitu ei per fines ultimos multum denegato, tamdiu retardabitur, vique calculi Loweriani ad uncias viginti, aut viginti quatuor facile ascendet. In febribus contra ea acutis pulsum hunc rithmum, incredibili modo acceleratum, largiorem multo sanguinis copiam eodem pacto suppeditare negare quidem nolim, sed cum eo ipso tempore ad velociorem instituendam respirationem necessitate naturali incitemur, res ad idem redire videtur. Quanquam vero eius quaedam portio cursum suum continuum, more in foetu vtero adhuc incluso obtinente, sine respirationis adminiculo per magis compressas vasorum ramificationes ultimas moliri credendum sit, illius tamen maior longe pars in arteria pulmonali, cum magna eius insequente extensione adeoque coaceruabitur, ut mirari subeat, qui haec tantae recipiendae quantitati eique asseruandae par sit. Absolum hinc minus videtur dictu, ipsam tunc arteriam, uti venam, rugosam fieri, quae Heluetii est observatio, teste Winslou. IV. §. 139. qualem rugositatem in vasis ventriculi et caeterarum primarum

viarum,

viarum, lumbricorum ad instar terrestrium, praecipue tempore exinanitionis atque ieiunii comparatam autopsia docet. Verum enim vero ingens haec arteriae expansio, hicque a sanguine vi cordis impulsio infarctus, qui certe non exiguus dicendus, cum illa per se iam venae fociae, ut innui, diametrum manifeste superet, cessare ac dissolui prius nequit, nisi summo naturae artificio elongatio huius canalıs per inspirationem adornanda insequeretur. Nimirum adeo ab aëre hausto in omnem dimensionem expanduntur pulmones, ut vasa non solum aspera, sed etiam leuia ad pollices duos tresue, per experimenta a quouis instituenda, quoad longitudinem augeantur. Quam ipsam angustatio coarctatioque et trunci, et ramorum conicorum cunctorum, simul vero apertura finium arteriosorum ac venosorum cylindricorum retiformi contextu vnitorum vna cum liberiori sanguinis transitu excipit. Dum vero eo praecise tempore et actu eandem in longum suscipiendam extensionem fieri iussit summus Opifex, quo tensio trunci venae cauae inferioris, tametsi breuissimi a diaphragmate sensim planum versus suscipitur, quaque refluxus cruoris ab inferioribus locis in cor egregie promouetur, uti in *dissert. de Adiumentis Sanguinis regressus ad cor*. probaui, nae hae actiones egregie sibi respondent? Quid iam prohibet quominus hanc elongationem arteriae, eiusque coincidentem constrictionem, dilatationi eius per pulsus a corde productae contrarium dicas. Enim vero latera canalıs huius per elongationem magis introrsum duci eiusque diametrum arctiorem reddi, et manifestis physicis rationibus,

tionibus, et experientia quotidiana nititur. Cui nifui in axin structura tunicae muscularis, cuius praeparatio anatomica dextre instituta, fibras tam circulares quam spirales sistit, quarum vltimae inprimis elongatae arctiorem semper reddunt diametrum, egregie opitulatur. Quam ob rem cum cordis contractione sanguis propulsus arteriam extrorsum diducat ac dilatet, hic nouus subsequens motus semper contrarius esse conspicitur, quippe qui coarctatione sua sanguinem contentum eiusque partes introrsum mouet. Renitentem quidem hanc actionem non perpetuo existere, sed tunc potius vigere, vbi inspirationis actio aerisque attracti retentio perdurat, lubens largior. Nihilo tamen minus, quum non vnico temporis momento hunc actum absolui, sed vbi tranquilla haec vitalisque exercetur respiratio aequae, vti de expiratione, deque spatio ad nouam vsque intermedio dictum fuit, tardius procedere, hocque pacto cor aliquoties pendente eo, systolem suam repetere perpendamus, tamdiu quoque renisum ab elongatione vasisque angustia proficiscentem vtrumque permanere experiemur. Etsi vero dum haec peraguntur arteriae et systalticus et diastalticus motus haud omittat, sed iugiter perennet, in eo tamen vtrumque mutatum ab illo dicas, quod cum diastole canalis ob rigiditatem et adductionem fibrarum ad inuicem a tensione eius in longum pendentem, adeoque ipsa systole quoque illam excipiens debilior videri posset, haec tamen per constrictionem eius tamdiu continuantem multis modis compensetur. Quum ergo affrictus ille, qui sanguini ad latera huius tubuli propulso

obtin-

obtingit, multum necessario velocitatis transeunti ei subtrahat, haec omnino tensio in consilium vocanda erat, quae et fluidum rubicundum hoc a circumferentia, vbi non nisi tardiori fertur motu, versus medium canalis arteriosi, huiusque veluti axin repellat insimulque progressum eius reddat rapidissimum. Scilicet quae per medium ceu axin arteriae iter suum profequitur cruoris portio, lineam, quoad eius fieri potest, directionis seruans rectam, neutiquam contra arteriae membranas nitens, antecedentis solum sanguinis, non vero affriktus vasis resistantiam inueniens, cursum altera parte velociorem felicius continuabit. Quae igitur arteria pulmonalis in dilatatione praecedente violenta multis modis euadebat maior, sicque sanguinis maiorem quantitatem, quam antea continebat, iam celeritate incredibili fere stadium hoc suum sanguinem percurrere finit, luculento indicio non distractarum eius fibrarum restitutione, qua potentia ad sese adunandas constringendasque iterum gaudent, sed robore longe maiori per tensionem addito circuitum hunc momento citius, per voluntatem nostram absolui posse. Iurene resistantiam a valuulis semilunari- bus praestandam, qua regressum sanguini in cor in inspiratione cum impetu molienti prohibere pares sunt, multis parasangis illam ab aortae valuulis praestandam superare fateamur? Nae hinc valida hac massae sanguineae pressione ac repressione, quae quum caeteris vasis eiusdem indolis conuergentibus, tum praeprimis in omni arteriae pulmonalis puncto, qualibet cordis et arteriae systole obtinet, quaeque maxime tempore elongationis

mirandae, a bronchiorum ramis, comitibus fidissimis, aëre potenter expansis inducta ad tot pollicum dimensionem nostrae propria atque perpetua est, quaeque parte notabili, per membranarum eius adductionem introrsum simul coincidentem diametrum propriam minorem efficit, perfectiorem partium sanguinis, chyli ac lymphae crasin ac subactionem, soliditatem, perque fortem attritum aequaliter in fluidum agentem, sphaericam figuram, mobilitatem, fluiditatem aliasque qualitates requisitas pollicetur? Nunc demum, huius pressiois beneficio, qualibet sui parte sensibili, totum id iusta proportionem continet, quod in vniuersa eius massa reperitur. Nunc demum fatuus quasi atque elumbis antea cruor ad sibi determinatas actiones, gnaviter obeundas, felicius resurgit. Corporis ergo, per labores variaque alia exercitia, institutum motum muscularem circuitum sanguinis accelerando, respirationem necessario frequentiore praesupponere, indeque beneficium in sanguinis perfectionem ipsamque adeo sanitatem redundare, vel me tacente, clare satisque patet. Scitur iam haud obscure, partem corporis humani nullam tam exacte pulmonibus horumque actioni in sanguinem respondere, ac musculos in officio suo constitutos, utpote de quorum sanguiferis vasis, inprimis arteria, id solum fas est praedicare, quod modo indigitato in pulmonalis arteriae laudem iure meritoque cedit. Musculorum hinc ut decet susceptus motus pectore infirmo ac pulmonibus laesis praeditis vel ea propter, si quod aliud auxilium, suppetias ferre valet. Rubentes sanguinis globulos ex aliis sex serosis pellucidis, nullum-

nullumque referentibus colorem coagmentari adeo, ut
 roboris saturitas a pluribus inuicem agglomeratis plano-
 oualibus his corpusculis emergat, perspicacissimus Leewen-
 hoeckius autor est. Verum enim vero hanc ipsam com-
 pressionem in arteria pulmonum, modo allegato, felicius
 quam alibi institui, quotus est quisque qui non perspiciat?
 Vtrum vero per respirationem quoque tenuiores nitrosa-
 que indole imbutae aeris portiones iugiter immisceantur, hac-
 que ratione aerem in pulmones attractum non saltem ad
 liberiores sanguinis per pulmones praestandum transitum,
 sed etiam ad portionis eius subtilioris intimiorem admissio-
 nem facere, sicque rubellum roseumque colorem suum
 conferre, ego nolim prae fracte inficiari. Forte exinde quo-
 que non minor aeris inspirati, ceu occulti vitae cibi ne-
 cessitas, quam cibi et potus erit, eoque magis cum eius
 in sanguinem impressio transitoria, etiam ex hoc capite, ci-
 tam postulet in integrum restitutionem. Profecto si re-
 ticularem arteriae et venae texturam, supra dicto modo,
 adornatam, sacculos, aëreos ceu fines bronchiorum coe-
 cos ambientem, nominatorumque vasorum extremitates
 forma pororum in superficie interiori terminantes confi-
 dero, quamque tenuior fluidi aerei portio semper eidem
 humidiori adhaereat inque poros cum venis conspiran-
 tes calidiores aere lege naturae perpetua, nunquam non,
 nitatur, non perspicio, qui non idem oscula haec bibula in
 sacculis his patentia subire, agitationisque vi per inspira-
 tionem excitatae, vi, inquam, mobilitatis summae aeris, parti-
 bus cunctis sanguinis, prius per pulmones transmittendis,
 quam ad ullam aliam corporis regionem aut partem per-

ferantur, sese intricare, sicque materiei quid adferre valeat. Sane quoties sanguinis ex vena emissi superficiem superiorem aurae liberae aliquandiu expositam, quantumvis antecederet fuscam, breui tamen in colore sic alteratam, vt vel arteriosi cruoris purpuram perfecte referat, intueor, toties experimentum vsu tritissimum me ingeniumque meum firmiter tenet. Nec tamen omnem, sed determinatam eius tantum partem quandam, siue salino-nitrosam summe volatilem, siue aliter nuncupes, in aere expansam oscula haec venarum ebibere, qua vero semel ab aëre exhausta eius reliquam scopo huic inutilem prorsus esse cum Swammerdamio crediderim. In qua re praeter Mayouium, Malpighium, Boyleum aliosque qui etiam plura phaenomena coloris hanc immutationem illustrantia in medium protulerunt, ad *Illustrum Bergerum*, instar omnium consentientem prouocare lubet qui in *Physiol. Med. Cap. IV. de Respirat. pag. mihi 45.* in haec erumpit verba: *Cum nihil verosimilius videatur, quam partem aëris, intra reticulos pulmonum admissi, per raram vesicularum et quae singulis illarum planis reticulatim, intextae, perque minima dispersae sunt venularum pelliculam in ipsum sanguinem intromitti. Cuius quidem rei spumosa sanguinis, per illa vasa redeuntis, superficies, ab aëre incluso, seseque explicante, oriunda, haud leue indicium praebet, et paulo infra p. 49. usum respirationis primarium in ea communicatione aeris constituens inquit: Atque in ea refectione succorum corporis in pulmonibus, qua motus illorum intestinus atque ad eo progrediens, instauratur, vnaque aequabilitas cum aëre, exterius nos ambiente, recepti per pulmones atque in aduersum nitentis aëris interioris vigore et elatere conseruatur, praeci-*

pium

purum respirationis usum positum esse viuentia cuncta indicant.
 Quid quod aërem humiditati bronchiorum internae superfici-
 ciei adhaerentem, cum ea commistum, in minimas spirulas
 concisum atque compressum facilius poros tunc penetrare,
 quam sibi relictum siccumque, multis passim experimentis
 constat, imo a *Mariotte* in *Tentam. de aere*, aliisque addu-
 citur: Quae praefari libuit in honorem

PRAENOBILISSIMI ATQVE CLARISSIMI

D O M I N I

M. ERNEST. GOTTLOB BOSE

L I P S. M I S N.

MEDIC. BACCAL. DIGNISSIMI.

Cuius animum laudabilia maiorum exempla ab ineunte
 fere aetate ad honesta quaevis sectanda incitarunt. Is
 postquam humanioribus literis gnauiter imbutus, acroa-
 fibusque academicis maturus anno MDCCXL. animum
 primo ad doctrinas philosophicas applicauit, vsus Incluto-
 rum earum Professorum institutione. Quibus propemo-
 dum ad finem perductis, salutari arti se totum tradidit at-
 que ab ore Celeberrimorum medicinae Professorum sedu-
 lo pendens se praebuit adeo discendi cupidissimum, vt eum
 non potuerint non amore atque beneuolentia complecti. An-
 nis abhinc quibusdam ab Amplissimo Philosophorum ordine
 Magistri dignitas ipsi collata fuit, quam Dissertat. habita:
De nodis Plantarum egregie ornavit simulque Iura gradui
 huic competentia acquisiuit. Mense Octobr. MDCCXLVI
 eximios in medicina profectus Gratiofo Ordini nostro in
 Examine

Examine theoretico declarans, cum laudis encomio discessit; siquidem toties in sinum gaudemus, quoties cum ingeniis versamur, quae industria indefessa doctrinarum suppellectilem sibi, ut decet comparare satagunt. Ante hoc semestrem spatium, Lectionibus pro Licentia: *De suppuratione* praemissis, in Examine pro Licentia, qua laudabili cognitione practica instructus sit, abunde Vniuerso Collegio probauit, idque merito suo impetrauit, ut in praesenti ad summos artis honores, applaudentibus nobis, aspirare queat, qui Die IX. Augusti a. c. a Gratiofo ordine ipsi decreti sunt, postquam dissertationem proprio Marte, *de Assimilatione alimentorum* conscriptam, absque Praeside defenderit. Vos *Rector Academiae Magnifice, Comites Illustrissimi, Proceres utriusque reipublicae Grauiissimi, atque ciues Generosissimi et Nobilissimi*, ut perhonorifica Vestra praesentia actum hunc panegyrique ei praemittendam condecorare ne dedignemini, quanto decet studio rogamus officiosissime. Dab. Lips. D. D VIII. post Trin. A. MDCCXLVIII.

LITTERIS LANGENHEMIANIS.

